DE MANIA FURIBUNDA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
RATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
NIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE II. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXVII.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
RANCISCUS ADALBERT. LUX,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

J. BRUBERGER, MED. ET CHIRURG. DR.,
A. MUELLER, MED. ET CHIRURG. DD.,
P. HILSENBERG, MED. ET CHIRURG. DD.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

J. N. RUST,

REGI A CONSILIIS IN RE MEDICA SUPREMIS, CHIRURGORUM MILITARIUM REIQUE MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI SUMMO PRAEFECTO, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. O. UNIVERSITATIS BEROLINENSIS ET ACADEM. MILITAR., CLINICI CHIRURG. OPHTHALMIATR. INSTIT. CHIRURG. ET OBSTETR. IN NOSOCOMIO CARITATIS DIRECTORI; MILIT. EMERIT. MEDICO PRIMO, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE, NEC NON ORDINIS ST. ANN. IN CLASSE SECUNDA EQUITI COMPLURIUMQUE SOCIETAT. LITTERAR. SODALI ETC. ETC.,

FAUTORI CLEMENTISSIMO,

PRAECEPTORI ET PATRONO

SUMME VENERANDO,

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Legi academicae satisfacturo dissertationem inauguralem scribendi nihil mihi obvenit, quod non ab aliis jam satis tractatum esset. Quamquam idem de Mania dicere licet, tamen nondum satis mihi videtur perpensa. Per annum in nosocomio Caritatis Berolinensi versatus sum, ibique morbos etiam mentis observandi et curandi occasio mihi data est, observata autem cum iis, quae alii de hac re dixerint, comparans, in dissertatione latius exponere conatus sum. Cum tiro parum huc usque expertus essem, et comperta saepe aut minoris aut majoris, quam par est, aestumarem, L. B. indulgentiam, praeprimis autem Tuam, Vir perillustrissime, cujus nomen dissertationi praeponere mihi licuit, rogo, qua re peto, ut voluntatis meae promtissimae, quam ejus, quod praestiterim, rationem habeatis.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Vita exhibet impulsum primarium quendam atque ei insitum, directionem quandam actionis peculiarem; functioni cujusvis organismi, cujusvis organi inest certus scopus. Vita psychica, cujus conditio materialis in cerebro sita est, apparet actionibus atque functionibus hujus organi, atque tendit ad conscientiam, quae est primaria ejus apparitio. Jam in animalibus, quibus actiones voluntariae sunt, sine dubio adest conscientia; ubicunque enim voluntas apparet, ibi excitetur necesse est objectorum, in quae tendit, cogitatione. Illa autem rerum cogitatio conscientia stabilita est, quae in eo consistit, quod percipiamus res externas a nobismet ipsis diversas, seu, ut aliis utar verbis, agnoscimus objecta a nobis differre; id, quod inde resultat, imago est objectorum mente nostra formata. Tali modo ostreae etiam propria est facultas agnoscendi, antequam enim devorandis, quae appetit, potitur, agnoscat ea necesse est. In omnibus praeter hominem animalibus sane organisatio lex est voluntatis actionum, ita ut modus et natura earum secundum unum eundemque scopum fiant, unde instinctus nascitur, qui semper agenda praescribit. Deficiente autem illa cogitatione objecti materiali instinctus conditioni irritamentum externum deest, sine quo orga-

nisatio ipsa agere nequit. Homo altiorem occupat locum, quippe qui est summum hujus mundi productum; hic non solum percipit objecta a se differentia, sed se ipsum cogitantem et agentem discernit. Conscientia ejus non solum est conscientia rerum externarum, sed etiam sui ipsius; ipse sibi est cogitando subjectum et objectum. Conscientia sui ipsius servari debet, ut nomen hominis quoad mentem sani mereatur, ne voluntatis libertatem et sui ipsius majorem perfectionem perdat, neque in bestiae naturam aut animi perturbationes incidat. Cogitationes, a sensuum incitatione et cerebri ab una tantummodo parte reagendi ratione productae, non de solis rebus externis sani hominis notiones constituunt, sed, qui bona mentis valetudine gaudet, se ipsum etiam contemplari, alteram cum altera cogitatione comparare, eas conjungere et falsas corrigere potest, unde judicia et conclusiones formare valet, id quod bestia omnino nequit. Rerum cognitiones per se ipsas crescunt, res externas inter se conferre, ad aliam referre et earum naturam ab apparitione abstrahere inde licet. Haec altior conscientia voluntatem etiam liberam reddit, a corporis rationibus minus determinatam. Ex intelligentia illa sublimi actiones oriuntur in certum quendam finem tendentes. Quibus cerebri et nervorum systematis materia, quoad formam et mixtionem, normalis existit, iis mentis etiam vires cum aliorum hominum mente conveniunt, mundum simili modo intuentur, ejus rationes pariter dijudicant. Ex his omnibus mentis hominum sanae notio satis liquet. Quam autem solis erroribus perturbatam minime jam morbosam dicere potes, dummodo homini facultas adhuc inest, se ipsum cogitantem et agentem contemplandi — sui ipsius conscientia, qua errores illos per se ipse corrigere valet. Illa

autem conscientia et inde voluntatis libertate perditis, si errores, in quibus versatur, amovere homo omnino non potest, tota intelligentia inde pervertitur, notiones corrumpuntur, et tunc perversae actionis causam praebent. Neque se ipsum, neque res externas earumque rationes satis percipiens, neque dijudicans, mente aegroti nomen meretur. Si certus quidam et solus cogitationum circulus perversus est, Melancholia sic dicta exoritur; sin autem plures plane inter se diversae istarum cogitationum perturbatae sunt, Mania et Moria hominem invadunt. Quarta denique morborum mentis species, Fatuitas, mentis inopia potius, quam perturbatio appellanda est. — Melancholia, Moria et Mania hominibus adultis tantummodo obvenire videntur, infantibus autem et bestiis sola Fatuitas.

Ex omnibus supra allatis patet: sub vocibus animi perturbationum, mentis morborum, vesaniae, desipientiae, intelligendam esse animi valetudinem eo adversam, ut conscientia et cogitandi et appetendi libertas deperditae sint, ut errores animum ita capiant, ut homo, se iis falli, dijudicare nequeat. Errores illi tantam in aegrotum exhibent vim, ut tota ejus intelligentia omnesque actiones iis associentur. Finem autem actionum utrum consequi possunt, nec ne, aegri non intelligunt. Si una tantum cogitatio perversa mentem capit, caeterae tum tantummodo perturbantur, si ad ideam fixam referuntur. Si aegri plures cogitationes perversas tamquam instinctum sequuntur, actiones inde evadent validiores, magis variae et turbulentiores, quam si una solummodo idea fixa existit. Unde satis declarantur Maniacorum tumultus, et cogitationes nec non actiones maxime variae Moria correptorum.

Quibus praemissis Mania mentis morbus definienda esse videtur: quo omnes animi vires, prae-

primis appetendi facultas, exaltatae, omnes cogitationes adeo perversae sunt, ut una cum sui ipsius conscientiae detrimento, ardens ac impetuosum rerum studium provocent, quas an adipisci queat nec ne, aegrotus discernere nequit.

Longum esset, alias aliorum auctorum Maniae definitiones hic afferre, quas idcirco omittere mihi liceat.

SYMPTOMATOLOGIA.

§. 2.

Omnium Maniae symptomatum, quorum magna copia exstat, tria stadia facile distinguere licet: stadium prodromorum, melancholicum, et furibundum.

a. Stadium prodromorum.

Pro negotiis, sorte, et vitae genere morbi initium vario modo se exhibet. Quibus enim Mania imminet, ii omnes insolita assiduitate, solertia, et alacritate cuicunque muneri dant operam. Mercator temere lucri faciendi studiis fortunam tentat; viri docti ingente librorum copia bibliothecam augere student [1]). Qui antea frugali vitae genere usi erant, ebrietati et temulentiae dediti deliciis diffluunt, nulla rerum suarum neque valetudinis, neque temporis, neque somni nocturni habita ratione. Saltandi, venandi, et generatim corporis motionum immodicarum cupidi sunt; modesti et timidi judicii acie, salibus praestare conantur, orationibus minime honestis audaciter utuntur [2]). Alii, qui antea corporis morbis laborabant, optime se habere contendunt, hilares et omnibus rebus contenti; ea, quae iis proposita sunt, nullo modo impediri, naturam

---

[1]) Francis Willis, über Geisteszerrüttung; aus dem Engl. Darmstadt 1826. S. 29.

[2]) Reil, über die Erkenntniß und Kur der Fieber. IV. Bd. S. 307. § 56.

pulchrius adornatam esse, putant [1]). Tranquilli homines eos, qui in eadem domo habitant, insolito tempore turbant, congerunt, servis vel ipsa nocte vana dant negotia.

Quamquam omnia huc usque relata mentem jam perturbatam probant, tamen aegri hoc quidem morbi stadio nihil insani contendere solent [2]).

b. Stadium melanchalicum.

In hoc morbi stadio aegri tamquam Melancholici maximo luctu opprimuntur, sed aliis etiam animi affectibus proclives se ostendunt. Istiusmodi aegrotus modo magna tristitia ad rerum suarum et munerum negligentiam perductus, modo lascivus, loquax, agilis est, modo nihilo movetur, modo inquietudine, anxietate, tremore, nec non convulsionibus, quae subito eum perturbant, vexatur, homines fugit, ne eorum quidem, qui natura ei affines sunt, societate gaudet. Omnes illi animi affectus ita crescunt, ut aeger in remotis domus locis semper versetur, a nemine inde amoveatur, cujus hortationes ei prolatas non intelligit; cibos et potus repudiet, vestes negligat, neque iis, nisi ab alio sibi indutis, utatur. Neque frigore neque calore, nisi vehementer agant, affici solet [3]). In hoc stadio et rarius jam in priori dolores capitis, vertigo, coenestheseos perturbatio, sensus molestus tensivus ex abdomine versus caput prorepens, palpitatio cordis, respiratio anxia, pulsus frequentes, modo minores contracti, duriusculi, modo pleni et duri-variabiles [4]), urinae et faecium parca excretio saepe eve-

---

[1]) Esquirol. Allgemeine u. specielle Pathologie und Therapie der Seelenstörungen; frei bearbeitet von Dr. Hille, Leipz. 1827, S. 419.

[2]) Reil l. c. [3]) Esquirol l. c.

[4]) Haase, über Erkenntniß und Kur der chron. Krankheiten. Leipz. 1822. S. 340.

niunt. Somnus somniis saepe turbatus, non raro plane fugit. Faciei lineamenta aegro jam mutata contrahuntur. Oculi haud raro paulisper rubent et splendent, idearum certamina, quae e notionibus jam perversis proveniunt, in hoc stadio aegri nondum expromunt, usque dum vox clarior, anxietas major, motus celeriores fiunt. Diffidentia in alios, superbia, ambitione, iracundia facile moventur, vel minimis rebus offenduntur. Secum ipsis tantummodo loquentes ab aliis interrogati aut omnino non aut insane respondent; suis nocere minitantur, quamquam ab illis non offensi. Faciei horribile quiddam, oculis rubedo, splendor et stupor insunt. Denique omnibus illis phaenomenis adauctis ad summum morbus crescit.

c. Stadium furibundum.

Genae rubent, oculi prominentes et rigidi fulgent. Arteriae carotides fortiter moventur, venae faciales et colli tumescunt, lineamenta faciei ingrato modo distorsa animi malignitatem et furorem detegunt. Aegri sui ipsorum conscientia et notionum ordine plane carentes musculorum robore ingenti gaudent, quo omnia delere student.

Insanus ille furor cacchinatione, cantu, vociferatione, ululatu sese manifestat; probra in alios cumulant, eos verberant, mordent, consputant; uxores, infantes, parentes, amicos interficere conantur; fame et siti aut fere nunquam afficiuntur, aut bestiali quasi voracitate omnes cibos et potus in se ingurgitant; frigoris effectus minime percipientes vestibus antea discissis corpus nudant, membra huc illuc movent, statu indecoro utentes nullo pudore obscoena verba faciunt. Quin etiam se ipsos pugnis contundunt et alio modo vexant. Coëundi cupiditas mirum in modum aucta apparet; se ipsos excrementis etc. inquinant, adeo excrementa devo-

rant; vincula et quodcunque furorem impedit, rumpunt. Malitiá per longum tempus saepe dissimulata custodes improviso invadunt.

Omnia illa symptomata comitari solent diuturna palpebrarum mobilitas, pupillae dilatatio, labia oris sicca, rupta, fusca, tremor linguae muco albido obductae, salivae spumosae saepe glutinosae adaucta excretio, pulsus frequentes, pleni et duri, epidermis rigida, calor singularum partium (capitis) major, obstructio alvi, retentio urinae [1])

Postquam autem stadium illud per horas, dies, hebdomades duraverat, symptomata remittunt. Aeger jam defervescente furore adhuc loquax est, stimulis externis nunc quoque facile incitatur. Alii requiescunt, res externas minus percipiunt, statum Fatuitati quodammodo similem fere acquirunt. Nonnunquam in somnum brevem et inquietum incidunt, quo finito saepe alius paroxysmus furibundus vehementior etiam regreditur.

SYMPTOMATUM DIFFERENTIAE.

§. 3.

Multis Maniacis magna acies sensuum, memoria, phantasia, quin etiam ingenii acumen inest; aliorum vitiis in ipso etiam paroxysmo illudunt [2]); omnium litterarum peritos, viros doctos se habent, versus faciunt, quamquam antea poëseos rudes se exhibuerant; graves et venustos sermones diversis linguis canunt atque pronuntiant. — Alii, si morbus remisit, omnium meminerunt, quae fecerint et quibus ab aliis hominibus tractati sint. Haec autem praeteritorum memoria convalescentibus demum sae-

---

1) Francis Willis l. c. §. 10.

2) Hainroth, System der psychisch gerichtlichen Medizin, Leipzig 1825. S. 152. §. 35.

pe regreditur, pluribus jam ab ultimo morbi paroxysmo mensibus praeterlapsis. — Alii siti satisfacere non possunt, aquam quaerunt, frigida saepe balnea sibi ipsis parant, denique quiescunt. — Dolores capitis, coenaesthesis adversa, aestus, et pressionis sensus in praecordiis cuique novo furori saepe praecedunt, hujus conscii vincula ipsi arcescunt. — Aliis minae, aliis hominum antea jam cognitorum praesentia, aliis res minoris momenti novum furorem excitant. Multis vehemens illa excitatio, si impedimentis caret, etiam magis augetur, et minae quam levissimae omnino eam cohibent [1]).

Sexus sequior obscoenis verbis in hoc morbo prae caeteris excellere solet; foeminae enim maniacae virorum adspectu in cacchinationem moventur, brachia in eos extendunt, carmina maxime indecora canunt, corpus nudant, et humeris innixae viros osculantur, obscoenis verbis coitum petentes. Haec omnia in *Nymphomania* praecipue et *Mania puerperali* evenire solent.

Mania saepe per breve tempus, per horas nonnullas durat, et *raptus maniacus* dicitur, qui epilepsiae paroxysmum haud raro sequitur, quamquam non desunt exempla Maniae epilepticae trium vel quatuor vel octo dierum [2]).

Quid? quod Mania nonnunquam remittit, praesertim si catamenia et haemorrhoides causae sunt.

Saepe tamquam febris intermittens certis horis, diebus, aut longioris temporis spatio, velut durante graviditate, partu, vel puerperio (*Mania puerperalis*) regreditur, tum per longum tempus rursus evanes-

---

[1]) Chiarugi, Abhandlung über den Wahnsinn; aus dem Italien. Leipzig 1795. § 565.

[2]) *Esquirol*, l. c. pag. 441.

cit [1]). Aliis paroxysmi maniaci ingrediuntur certis anni temporibus (*Mania periodica*), caeteris autem anni partibus intermittunt.

Mania, quae brevi tempore decurrit et crisibus satis pellucidis finitur, *acuta*, alia contra *chronica* nominatur.

Si furor minor exstiterat, *Mania mitior* dicitur.

Denique morbus ille aliis tam mentis quam corporis morbis saepe complicatur; modo epilepsia, modo febres ei associantur. Si statim ab initio febris aderant symptomata, *Mania febrilis* dicitur.

DIFFERENTIAE AB ALIIS MORBIS.

§. 4.

Ab aliis mentis perturbationibus Maniam satis haecce distinguunt: sensorii maxima exaltatio, stimulos tam externos quam internos recipiendi facultas adaucta, stimulorum cerebro molestus influxus, et inimica reactio in res externas, sanis minime adversas, idearum omnium perversitas, unde conscientia sui ipsius perdita et voluntatis impetus in temerarias actiones omnem modum excedens, evadunt, quibus ingens musculorum robur inservit. Omnia haec symptomata Maniae diagnosin ab aliis morbis mentis faciliorem reddunt, quam a delirio eorum, qui encephalitide, febri nervosa versatili et delirio potatorum laborant.

1. *Si encephalitis* cum Mania complicata est, symptomata, quae utrique morbo propria sunt, singula omnino difficillime discernuntur, facilius autem, quae ad Maniam pertinent, nisi vasorum systema sed nervi potius primarie hoc morbo affecti sunt. Encephaliticis enim facies rubra valde tumescit, oculi

---

[1]) *Reil*, l. c. § 71.

Medicus, Geschichte Periode haltender Krankheiten. Thl. 1 S. 37 — 44.

prominentes, tunicae conjunctivae vasculá rubro sanguine impleta, pupilla coarctata, vultus non distorsus, aegri animus in singulas tantummodo res externas intentus est. Maniaci contra facies exaltationem quidem significat, neque tamen tantum rubescit, neque turgescit, ambitu naturalis; oculi fulgentes huc illuc atrociter volvuntur, minus rubri non tam prominent; faciei lineamenta distorsa, adspectu horribilia. Tum encephalitide calor vehemens et assiduus, dolores capitis pungentes, qui longius perdurant, conjuncti sunt; statim ab initio per totum morbum deliria perseverant; morbus rapide per septem dies jam decurrere solet, et nonnisi cura valida, cito adhibita, crisibus facile animadvertendis, solvitur.

2. *Febris nervosa versatilis* collapsu virium, robori musculorum in Maniacis plane contrario, a Mania jam satis differt; facies pallida, collapsa, nullo turgore; oculi languent, si deliria imminent paulisper splendent, pupilla contracta, genae magis rubrae. Alia hujus typhi signa videmus, quorum alterum alteri saepe contrarium est, sibi invicem alternantia, animi varias mutationes, quae a rebus externis minoris momenti facile progrediuntur. Deliria per exiguum temporis spatium nullo vigore durant, et sopore saepius interrumpuntur. Calor diversis corporis partibus saepius mutatur, pulsus debiles et variabiles, respiratio modo minus laesa, modo suspiriis etc., turbata, tremor artuum motiones vel exiguas sequens. Omnes virium contentiones licet breves mox aegrum exhauriunt summamque infirmitatem produnt [1]).

3 *Potatores in delirio cum tremore* hilares se praebent, omnibus rebus intenti et loquaces ut Maniaci,

---

1) *Schmalz*, Diagnost.

semper autem de solitis negotiis delirant, quod in Mania nunquam observatur. Animi distractio in Maniacis major; verba et actiones potatorum minorem vehementiam et tumultum probant, vultus minus turbatus semper hilaris est, minime horribilis, minax ut in Maniacis [1]). Tremor denique artuum, praeprimis manuum, sudores et alia delirium potatorum satis probant [2]).

EXITUS.

§. 5.

Si Mania convalescentia finitur, aeger paulo post furorem admodum exhaustus quiescit, tum in dies rerum suarum, sensuum, notionum magis magisque conscius fit, e somnio quasi ad se redit, idearum perversitas evanescit. Animi quietudo facie etiam exprimitur, vultus mitigatus et tranquillus redditur. Somnus longus nullo modo turbatus bonam valetudinem plane restituit. — Saepe Mania crisibus tollitur: epistaxi, sudoribus, urinae excretione aucta, furunculis, exanthematibus, secretionum suetarum reditu. Convalescentia saepe satis longa est.

Alius morbi exitus in Dementiam non raro evenit, quae denique in Fatuitatem perfectam commutari solet.

Si Mania longius perduraverat, Moria facile inde procedit, et si aeger ea nimis exhaustus erat, modo apoplexia nervosa et paralyses, modo morbi organorum, quae reproductioni inserviunt, ut: diarrhoeae habituales, et aliae excretiones nimis adauctae, emaciatio, hydrops etc., sequuntur. Mania autem, quamvis alii isti morbi ex ea exorti sunt, saepe licet mitior regreditur, et usque ad mortem durat.

---

[1]) *Nisle*, de quibusdam e facie dignoscendis aphorismi — Dissert. inaug. Berol. 1827. §. 10.

[2]) *De Koehring*, de Delirio tremente — Dissert. inaugur. Berol. 1826.

ors autem Maniam eo sequitur, ut corpus ex toto exhaustum apoplexia (nervosa) interficiatur, aut aliis morbis, in quos Maniam exire supra diximus. —

CADAVERUM SECTIONES.

§. 6.

In plurimis cadaveribus omnino nihil, quod morbi praegressi indolem patefecisset, inventum est. In aliis cranii abnormis crassities, vasa sanguifera sanguine turgescentia, cerebri membranae induratae, in cerebro ipso indurationes, et exulcerationes, lympha exsudata, serum, aut sanguis e vasis egressus etc. animadvertebantur.

PROGNOSIS.

§. 7.

Clarissimi medici experti sunt, Maniam prae ceteris animi morbis saepius prospero eventu curatam esse. Nihilominus prognosis morbi, cum facile repetat, dubia nominanda est. Causis, aegrorum constitutione, aetate, anni tempore, morbi decursu, complicationibus cum aliis morbis, gradu, curis jam praegressis, et aliis rebus externis modificatur.

1. Mania a psychicis causis exorta difficilius curari potest, ac si e physicis evadit. 2. Vitia haereditaria, praesertim materiae cerebri [2]), cranii deformitas, et alia, quae neque detegi neque tolli possunt, causae fiunt Maniae fere nunquam sanandae, quibus complicationes accedunt cum paralysi, convulsionibus, epilepsia et aliis.

3. Si e graviditate, e febribus intermittentibus, plethora, insolatione, excretionibus suppressis originem duxit, morbi exitus bonus sequi solet [1]), quamquam haud raro nova graviditas novam Maniam gignit.

4. Maniaci, qui sanguineo temperamento gau-

---

[1]) *Chiarugi* l. c. §. 665.

[1]) *Chiarugi.* l. c. §. 673 — 675.

dent, melius sanantur, quam temperamento melancholico praediti [1]).

5. Juvenes facilius a morbo liberantur, quam senes, praeprimis autem aetatis anni a vigesimo usque ad trigesimum curae favent, inter anni tempora auctumnus, minime autem hiems [2]).

6. Morbus recens prius remediis adhibitis cedit, quam inveteratus. — Mania, quae longius perduraverat, aut nonnullis intervallis saepe regressa erat, insanabilis est, atrophia, apoplexia, Fatuitate finitur [3]). —

Esquirol homines vix sanabiles esse putat, qui quarto paroxysmo arrepti sint, nec non eos, qui per annum mederi non potuissent.

7. Quae certo typo tamquam febris intermittens regularis invadunt, prosperiori eventu esse solent, quam perdurantes [4]).

8. Maniae cum convulsionibus, epilepsia, melancholia conjunctae [5]) mali ominis sunt.

9. Quo furor validior, eo spes major [6]).

10. Qui post Maniam uti quemque alium mentis morbum corporis volumine increscunt, rarissime recidunt [7]).

11. In decursu Maniae secretiones, antea suppressae, intrantes, menstrua, lochia, lac, haemorrhoides, porro: epistaxis, sudores, urinae excretio copiosa, dysenteriae [8]), furunculi, herpes, scabies, erysipelas, abscessus, otorrhoea, salivatio [9]), varices [10])

---

1) Cullen, Anfangsgr. d. pr. Arzenei-W. §. 1574.
2) ***Esquirol***, l. c. p. 453.
3) ***Chiarugi***, l. c. § 661.
4) ***Reil*** l. c. p. 419.
5) Haslam Beobacht. über d. Wahnsinn, a. d. Engl. Stendal 1800. S. 77.
6) ***Chiarugi*** l. c. §. 662.
7) ***Haslam***, l. c. §. 79.
8) ***Chiarugi*** l. c. §. 668.
9) ***Esquirol***, l. c. p. 451.
10) Hipp. Aph. — S. VI. Aph. 21. — Berol. MDCCCXXI.

et febris intermittens sperare licent, ut morbus sanetur. — Somnus denique etiam, cerebri exaltationes diminuens, morbum leviorem reddit [1]).

AETIOLOGIA.

§. 8.

Causa proxima aut natura morbi partim jam e definitione praemissa elucet, scilicet quaerenda est in actione cerebri modum excedente, quae a vasorum incitatione minime dependet et cum materiae cerebri mutatione sive jam praegressa, sive frequente, conjuncta est.

Causae praedisponentes in aetate, corporum constitutione, temperamento, anni temporibus et aliis positae sunt, quae sensorii energiam augent. Huc pertinent:

1. Aetas juvenalis anni a vigesimo usque ad trigesimum, per quos in totum corpus et prae caeteris cerebrum animi affectus fortiter reagunt.

2. Corpus robustum, plethoricum, quamquam ne iis quidem semper deest, qui sentiendi facultate aucta, fibrarum rigore praediti et macilenti sunt.

3. Temperamentum sanguineo-cholericum, ingenii acumen, phantasia vivida non minus in Maniam disponunt [2]).

4. Experientia docuit: viros saepius quam foeminas isto morbo laborare, licet et hae quidem menstruatione, graviditate et puerperio saepe in eum incidunt.

5. Anni tempora ea potissimum Maniam ad lucem proferunt, quibus aut aestus aut frigus summum gradum attingunt. Eandem vim climata calida exhibere videmus [3]).

Dispositio denique hereditaria in Maniam saepius observata est [4]).

CAUSAE OCCASIONALES:

a) *psychicae*. His praecipue adnumerandae sunt: animi affectus et pathemata, velut ira, cupiditas

---

[1]) ***Hippocrates***, Sect. II. Aphor. 2.
Celsus de Medicina. Lib. III. Cap. 18.

[2]) ***Chiarugi*** l. c. §. 592.

[3]) ***Bodinus***, de Rep. Lib. I. Cap. V. Leo Africanus, de Fessa Urbe. Lib. III.
Lorry, de Melancholia, p. 84.

[4]) Pargeter, theoret.-prakt. Abhandlg. über den Wahnsinn, a. d. Engl. Leipzig, 1793. S. 28.

vindictae, amor, invidia, terror, metus, ambitio, avaritia, superbia, moeror, desperatio, cupiditatum destitutio. Huc etiam referendae sunt: meditatio nimia de una eademque re, phantasia supra modum exaltata, praecipue si phantasmata in memoria longius retinentur.

b) *Causae physicae* aut primarie, aut per consensum, per metastasin, aut etiam antagonistice per nervorum alias partes attenuatas in cerebrum agunt.

1. Aut cerebrum ipsum, aut partes id circumdantes saepe jam antea destructae sunt, durae substantiam cerebri premunt; inflammationes, indurationes, spissitudines, membranarum cerebri ossificationes et cohaesiones inter se aut cum cranio; cranii ipsius aliena forma et structura, et alia illius morbi mentis causas saepe accusant [1]).

2. Corpora aliena in cerebro, ossium assulae, sanguis extravasatus, pus, serum, excrescentiae sensorium haud raro in hunc morbum incitant.

3. Omnia illa corpora aliena Maniam in nonnullis hominibus produxerunt, vel si in aliis partibus ut in naribus, auribus etc., non in cerebro ipso, commorata sunt.

4. Per consensum quoque ex uteri et ovariorum morbis furor foeminas invadit [2]); uti ex nimio coëundi cupiditate, aut nimiis in venere excessibus et Onania.

5. Aliae morbi causae sunt: corporis magni labores, lucubrationes.

6. Spirituosorum abusus.

6. Narcotica (Belladonna, Opium).

8. Febres cujuscunque indolis, intermittentes, exanthematicae [3]), nervosae, puerperales [4]).

9. Venaesectiones saepius repetitae, et in genere sanguinis nimia detractio [5]).

10. Insolatio.

---

[1]) Arnold, über die Natur, Arten, Ursachen und Verhütung des Wahnsinns oder der Tollheit; a. d. Engl. Leipz. 1788. II. Th.

[2]) *Arnold* l. c. II. Thl. pag. 182.

[3]) *Arnold* l. c. p. 117 — 120.

[4]) *Francis Willis* l. c. §. 12. pag. 40.

[5]) Ibid.

11. Retentio menstruationis, haemorrhoidum, lactationis, lochiorum.

12. Scabies, herpes, erysipelas, arthritis, rheumatismus, ulcera [1]).

CURATIO.

§. 9.

Cum compendia de morbis mentis latiorem curae descriptionem jam contineant, tironis mihi visum est ea tantummodo hic referre, quae ipse in Nosocomio Berolinensi maximo observaverim.

Princeps corporis valetudinis ratio habenda est, et naturae morbi inde semper dependentis. — Cerebri enim actiones normales in normali materiae statu positas esse, ex supra dictis concludere licet. In Mania furibunda cerebri vis vegetativa exaltata Metamorphoseos causam praebere solet, atque a medico curante diminuenda est, priusquam substantia cerebri abnormiter inde mutatur. Quod si sanguificatio, ut fere semper, nimiam vegetationem stabilit, si magna arteriarum carotidum pulsatio, pulsus duri, frequentes, vultus atrox, calor praesertim capitis et respiratio frequentior adsunt, sanguinis missiones tam e vena secta quam topice mox instituendae sunt; quo facto nimiae sanguinis congestiones versus cerebrum et vis plastica supra modum adaucta facile tolluntur. Semper autem medicus respiciat ad totius corporis constitutionem et statum vitalem, ne aeger nimis debilitetur et Mania in Fatuitatem transeat. Itidem medici est dijudicare, num cerebri mutatio organica jam exorta sit, facile enim magna sanguinis detractatione impeditur, quominus exsudata satis resorbeantur. In genere venaesectio Maniae princeps remedium, et justo tempore adhibitum ad eam tollendam sufficit.

Similem et saluberrimum quidem effectum *purgantia* exhibent. Cum autem hujusmodi aegrotantes fere semper alvo valde obstructa laborent, cum totius corporis excitatio iis adesse soleat, in dies pluries alvus ducenda est ope purgantium, quae simul refrigerando et derivando agunt, salium, velut: Natri sulphurici, Magnesiae sulphuricae et aliorum. Maximo commodo Aquam Carolinensem artificialem

[1]) *Esquirol* l. c. pag. 465.

Rec. Natri sulph. ℥j
Natri carbon. ʒj
Natri mur. ℈j
solve in
Aq. fontanae ℔j
M.

Maniacis porrectam vidi.

Emetica eo purgantibus simili modo agunt, ut materias nocentes e ventriculo evacuent, gangliorum systema incitent atque antagonisticum in cerebrum habeant effectum. Cum autem verendum sit, ne congestiones ad caput augeant, remedia jam allata sequantur necesse est, et in chronica potius quam acuta Mania indicantur. Emeticum ex tartari stibiati grano cum rad. Ipecac. scrupulo non sufficere solet, sed pluries reiterandum, vel majores doses nec non fluida emetica sunt danda. Praeterea eadem remedia Nauseosorum instar imperanda.

Aqua frigida aut paulatim aut subito capiti superinfusa mitigantem vim exhibet tam in vasorum systema, quam in sensorium. Coenaesthesin quoque offendit, ita, ut aegro furibundo maximum timorem injiciat. Primum quinque vel decem amphorae ei infunduntur, postea plures usque ad centum. Adhibendae aquae frigidae methodus, quae dicitur douche, vel ad caput, vel ad columnam vertebrarum, vel etiam ad partes genitales, maximo usui fuit Nymphomaniacis et iis, quibus ex epilepsia Mania exorta est. In graviditate, pulmonum morbis istiusmodi balnea frigida caute adhibenda sunt. Cavendum etiam est, ne diutius adhibeantur, cum facile ex nimio aquae frigidae usu Mania in Fatuitatem abeat. Fomentationum denique usus saepe magno est commodo, praesertim si per longum tempus continuatur.

Narcotica nimium systematis cerebralis erethismum et morbum mentis inde exortum certe diminuunt, et majoribus dosibus porrigenda sunt. De Opio in Mania adhibito nihil huc usque expertus sum.

Camphora systema genitale nimis exaltatum sedare dicitur, in Mania non tam magnum ejus commodum observatum est. —

Methodus excitans in Mania chronica indicatur. Derivando agunt vesicatoria, setacea, pediluvia calida, unguenti tartari stibiati inunctio in tonsas capitis partes, quae vero inunctiones, nisi cautissime

adhibeantur, rejiciendae sunt. Cantharidum usus damno est, si nimia genitalium irritatio verenda.

Proprio modo animus et corpus *rotationibus* excitantur atque mutantur. Peculiaris ejus effectus in menstruationem promovendam in nosocomio nostro saepius observatus est; qua re iis maxime commendari possunt, quae mensium suppressione in Maniam cadunt. Omnes enim secretiones et excretiones servandae, suppressae revocandae sunt.

Quod ad *diaetam* attinet, semper modica sit, fere antiphlogistica.

Consilio ad corporis valetudinem satis translato, directe etiam in mentem agi debet, quod pro vario morbi statu ejusque origine vario modo fit. — Ut omnes causae psychicae morbi amoveantur, totum vitae genus praegressum mutandum est. Hae vero vitae rationis mutationes propriae animi perturbationi respondeant. Corporis diuturnae actiones aegrotum a perversis ideis avertant. Qui minarum timore facile afficiuntur, coërcitione arceantur. — Ad quemque animi affectum diligenter respiciatur, et aptis colloquiis et laboribus tollatur.

V I T A

Ego Franciscus Adalbertus Lux, die XII. m. Aprilis MDCCCV. Capricolli, ad Nissam in Silesia, natus, et confessioni catholicae addictus sum. Patre optimo, medico militari, gaudeo, matrem carissimam e gente Hirschigiana, jam praematura morte mihi ereptam, lugeo. — Plures per annos in Gymnasio Nissensi a viris eruditissimis litterarum primordiis instructus, mense Novembri a. MDCCCXXII. Instituti regii medico-chirurgici Friderici Guilelmi adscriptus sum, ubi per quadriennium medicinae et chirurgiae studio operam tribui.

Hisce interfui praelectionibus.

Botanicen, pharmacologiam et historiam naturalem Illustr. Link, psychologiam et logicen Cel. Wolf, physicen, chemiam et pharmaciam Cel. Turte me docuerunt. In anatomia theoretica universa Illustr. Rudolphii, neque minus in arte cadavera dissecandi Illustr. Rudolphii et Illustr. Knape me instituerunt; Encyclopaediam medicam et anatomiam organorum sensuum Illustr. Rudolphii mihi tradidit. — Osteologiae, splanchnolo-

giae, syndesmologiae, nec non artis, formulas medicas concinnandi atque anthropologiae forensis praeceptor mihi fuit Illustr. KNAPE. — De physiologia tam generali quam speciali Illustr. RUDOLPHI et Cel. ECK, de materia medica Illustr. OSANN, de Toxicologia Cel. SCHUBARTH lectiones frequentavi; in pathologia generali, therapia tam generali quam speciali, atque in semiotice ab Illustr. FR. HUFELAND, in pathologia speciali et in doctrina de morbis mentis ab Illustr. HORN, de therapia ab Illustr. C. W. HUFELAND eruditus sum. Non abfui lectionibus Illustr. HERMBSTAEDT de pharmacia, Cel. HECKER de Celsi medicina, Illustr. RUDOLPHI de entozoologia, et Cel. CASPER de arte, formulas medicas conscribendi. — Disserentes quoque audivi Illustr. KLUGE de chirurgia generali, de ossium fracturis et luxationibus, de arte obstetricia et fascias applicandi, Illustr. DE GRAEFE de akiurgia, Illustr. RUST de chirurgia speciali. Cursum operationum chirurgicarum Illustr. RUST et Illustr. KLUGE mihi exposuerunt. — Exercitationibus denique clinicis, tam medicis quam chirurgicis, ducibus Illustr. Illustr. C. W. HUFELAND, NEUMANN, RUST, DE GRAEFE interfui.

Studiis hisce peractis medico-chirurgi inferioris munere in Nosocomio Caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero, fore, ut, dissertatione conscripta thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Quibus factis Glogaviam, ut medico-chirurgi turmalis officiis satisfaciam, proficiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I. Curatio psychica ad maniam tollendam non sufficit.

II. In curandis ulceribus ad dyscrasiam maxime respiciendum est.

III. Emplastra, excepto empl. adhaesivo, superflua omnia.

IV. Pulsus est inconstans morborum signum.

V. Vulnera amputationis per secundam intentionem (suppurationem) curanda sunt.